

INCIPIIT VITA ET REGULA
SORORUM ORDINIS MINIMORUM
FRATRIS FRANCISCI DE PAULA

**De salutifera preceptorum et votorum observantia:
capitulum primum.**

Huius ordinis Minimorum universe sorores salutis eterne viam, Regulam et vitam imitantes ac decem mandata et Ecclesie precepta salubriter observantes et ad sacra consilia scandere contententes, sanctissimo domino nostro domino Iulio pape II et eius successoribus canonice intransibus fideliter obediant: ac sub obedientie, castitatis, paupertatis et Quadragesimalis vite modificationibus infrascriptis modificate sacris votis perseveranter vivere promittant: et sub decenti clausura recluse permaneant. Insuper Generali ac provincialibus eiusdem ordinis pro tempore existentibus et sue Matri Correctrici humiliter pareant: et ab hac Regula et vita nunquam recedant memores quod frustra bonum inchoatur si ante vite terminum deseratur: solisque perseverantibus corona datur.

**De cunctis ad hunc ordinem recipiendis:
capitulum secundum.**

Ad hunc ordinem Minimorum Quadragesimalis vite zelo et maioris penitentiae intuitu migrare cupientes per matres Correctrices recipiantur in sorores, vel oblatas, dummodo tales noviter recipiende requisitis conditionibus apte existant: et ad minus decimumquintum annum attingant.

Preterea elapso continue probationis anno et non antea (quacumque dispensatione Correctricibus eiusdem Ordinis super hoc penitus interdicta) si a sororibus professis, et potissimum ab informatrice sua bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterunt. Ipse vero taliter recepte in statu professionis sue perpetuo remaneant.

**De Congregationis huius indumentis:
capitulum tertium.**

Huius parvule Congregationis cuncte sorores et oblate capillos non nutriant: sed crebrius tondeantur, vel abradantur. Insuper omnium ipsarum sororum habitus sit talaris et honestus, de panno abiecto ex lana naturaliter nigra sine tinctura contexto. Preterea illarum caputium eiusdem coloris existat: et usque ad scapulas vel circa super honesta velaria protendatur: et ad prestringendum aptetur.

Habeant etiam rotundum cingulum laneum similis coloris, prenodatum quinque simplicibus nodis: quod quidem cingulum (simul cum habitu, et capucio, prefatis) eisdem sororibus die noctuque dimittere non licebit, nisi causa mutationis, mundationis, aut reparationis, vel alicuius evidentis infirmitatis; super hoc tamen primitus onerata medici conscientia.

Insuper ad nutum utantur zocholis, aut soleis factis ex sparto, vel palmis, aut stramine, vel funibus, aut iuncis, vel etiam calceis desuper apertis iuxta Provinciarum varietates: nisi ubi necessitas urgens, vel superioris discreta dispensatio relaxaverit a pedum nuditate.

Similibus indumentis uti habebunt sorores novicie, excepto quod ipse et pariformiter oblate novicie, loco cinguli rotundi, zonam coloris habitus sui simpliciter portabunt. Capucium autem non deferant ipse novicie: sed, loco ipsius, gerant birrhum humilis coloris: et desuper velum honestum.

Dicte etiam oblate, post earum professionem, rotondo cingulo utantur sicut et sorores professe, unico nodo duntaxat excluso. Preterea suum habitum sororum habitu paulo breviorum deferant: et honesta velaria, cum decenti birrho portent.

Poterunt insuper singule sorores ac oblate (ut exegerit necessitas) sub dicto suo habitu tunicas et tunicellas ex humili panno, ac de staminea, similiter et caligas honestas super genua competenter porrectas licite portare: et clamide coloris habitus sui (absque aliquo cucullo) ad libitum uti. Huiusmodi vero clamidem sorores ipse usque ad nodum pedis, oblate autem prefate illam usque ad suras vel circa protensam humiliter portabunt.

Poterunt ulterius omnes ipse oblate, tam ante quam post earum professionem (prout cetera) unum vel plura officia minora (iuxta capituli localis ordinationem) licite exercere.

Preterea ipse sorores ac oblate extra suos Conventus (absque Correctricis licentia) nullas litteras transmittant.

De officio divino, et de capitulo ac de confessione, et communione: capitulum quartum.

Laudibus divinis sorores huius Ordinis pro debitis horis persolvendis, tanquam ydonee deputate cum tremore alacriter intendentes, simpliciter explicando seu computando (absque notulis) reverenter ac ceremonialiter persolvant divinum officium, iuxta Romane Curie ritum.

Ipse etiam singule per universum Ordinem uniforme Kalendarium a Romana Ecclesia illis nunc approbatum uniformiter teneant. Poterit insuper coram ipsis sororibus ac oblatibus diebus singulis Missa celebrari, quam ille de suo clauso choro debite videant et audiant: nunquam tamen coram ipsis cantando, nec explicando seu computando Missa celebretur: nec ad aliquam Missam a quibuscumque personis in earum ecclesiis taliter respondeatur. Occurrente vero aliquo festo specialiter solemniori, poterit Missa Conventualis coram eis de ipso celebrari, cum commemoratione festi diei Kalendarii, aut viceversa. De dicto etiam suo clauso choro predicationes audire valeant.

Insuper anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum Ordinis prima vacante dominica mensis iulii omnes pariformiter celebrent.

Ad nulla etiam suffragia se obligent ipse sorores, nisi tantum in genere, seu sub generalitate omnium suffragiorum Ordinis: aut solum pro quinquaginta annis, vel citra.

Preterea cuncte sorores ad ipsum divinum officium persolvendum non ydonee, Congregationi sancte diligenter obsequentes pro matutinis trigesies, pro laudibus decies, pro vesperis duodecies, et pro qualibet reliquarum horarum septies Orationem Dominicam et totiens salutationem Angelicam dicant: versiculis Gloria Patri, et sicut erat, singulis ultimis cuiuslibet hore salutationibus additis. Et pro defunctorum officio decies Pater noster, et totiens Ave Maria quotidie recitent: versiculo Requiem eternam ultimo Ave Maria subiuncto. Sorores autem oblate

pro matutinis viginti, pro laudibus septem, pro vesperis decem, et pro singulis reliquarum horarum quinque Pater noster et totidem Ave Maria depromant: versiculis Gloria Patri, et sicut erat cunctis ultimis Ave Maria subiunctis. Et pro defunctorum officio alia quinque Pater noster et totidem Ave Maria quotidie dicant: versiculo Requiem eternam ultimo Ave Maria similiter addito.

Dicte etiam oblate in actibus capitularibus vocem non habeant: sed circa frequens ministerium sororum solícite satagant: et in die professionis sue, in capitulo, fidelitatem Ordini promittant: et (prout sorores) ad quatuor eiusdem Ordinis vota suo modo se obligent. Nichilominus tamen pecunias quascumque tangere et illas, de licentia Correctricis, a quibuscumque personis, quotiens opus fuerit, per strictas conventus craticulas recipere licite valebunt: quibus sic per eas receptis, ad ordinationem dicte Correctricis, de illis omnibus disponant: sui tamen conventus clausuram nullatenus exeant: prout nec sorores. Dicti etiam procuratores seu quevis alie devote persone, per predictas craticulas, eisdem sororibus et oblatis super cunctis sibi necessariis (iuxta illarum facultatem) provideant.

Preterea singulis ebdomadis (legitima causa cessante) dicte sorores ac oblate, saltem semel, sibi deputatis confessoribus devote confiteantur: et ter in ebdomada videlicet secunda, quarta, et sexta feriis, pro dicendis culpis suis et pro conventus negociis expediendis capitulariter conveniant: quibus ita congregatis singule ipsarum (decenti religionis ordine) primum quidem novicie, postmodum oblate iam professe, et deinde sorores professe (coram matre Correctrice) publicas culpas suas reverenter dicant: et iniunctam sibi provide penitentiam salutarem benigne suscipiant. Insuper diebus ac festis Natalis Domini, Purificationis Virginis Marie, Cene ipsius Domini, Penthecostes, Assumptionis Virginis Marie, ac dedicationis sancti Michaelis Archangeli, et in Omnium Sanctorum solemnitate adminus, singule sorores ac oblate, legitima causa cessante, capitulariter se reconcilient: et ita reconciliate sacram communionem reverenter sumant.

De obedientia et castitate ac voluntaria paupertate: capitulum quintum.

Voluntatem propriam se abnegasse non ignorantes huius Ordinis sorores ac oblate, sue matri Correctrici in cunctis que sue anime, et huic sacre Regule non adversantur humiliter obediant: et illam humili affatu ac reverentiali gestu venerentur.

In perpetua etiam castitate viventes oculum scandalizantem eruant: ac suspectum consortium et pravum consilium penitus fugiant.

Preterea sub paupertate evangelica militantes predictae sorores pecunias nullatenus tangant: nec illas scienter ullo modo deferant. Insuper tam ecclesie reparationi quam et debite ipsarum sororum et oblatarum subventioni iuxta facultatem cuiusque conventus), per Correctricis et capituli localis ordinationem, caritative subveniatur.

Ipsis insuper cunctis sororibus ac oblatis quascumque promiscui sexus personas intra quemcumque huius Ordinis conventum hospicio suscipere, nec personas ipsas etiam proprios infirmarum confessores, vel corporales medicos, aut quoslibet Ecclesie prelatos vel alios quoscumque dominos, ad se nec ad suos ortos ingredi quovismodo permittant: sed duntaxat ad quaslibet strictas et duplices seu combinatas craticulas ecclesie conventus ac infirmarie: (quarum quidem craticularum in eodem pariete una sit extrinsecus, altera remanente intrinsecus) quantum sub Deo possumus, strictissime prohibemus.

Cum autem pro nonnullis huius Ordinis sororibus aut oblatiis alloquendis quasdam personas ad prefatas craticulas ire contigerit, ipse sorores ac oblate (sumpta primitus Correctricis benedictione) cum decenti societate illis ab eadem Correctrice tradita personas ipsas breviter alloqui tolerentur: ita tamen quod eas videndi facultas penitus interdicitur.

Permittatur etiam (pro dictarum infirmarum consolatione, ac necessaria visitatione) quod ipsarum confessores et medici corporales (quotiens opus fuerit) accedant ad antedictam strictam infirmarie craticulam, ad quam infirme prefate se ipsas approximare, ac (si opus sit) cum ductili lectulo, honeste deferri facere poterunt, quatenus ipse medicus illas ibidem videre ac tangere queat.

De modo vivendi in Quadragesimali cibo, et de infirmarum oportuno remedio: capitulum sextum.

Singule sorores huius Ordinis a cibis carnalibus omnino se abstineant: et dignos penitentiae fructus in cibo Quadragesimali taliter agant, quod ipse carnes et omnia sementinam originem a carnibus ipsis trahentia penitus vitent. Carnes igitur et pinguedo, ova, butirum, caseus, et quevis lacticia, ac ex eisdem congesta et producta quecumque (salvis modificationibus infrascriptis) ipsis omnibus ac singulis sint omnino et irrefragabiliter interdicta.

Quamprimum vero aliqua earum in egritudinem inciderit, ad infirmariam claustralem per sororem seu oblatam pro infirmaria deputatam seu deputandam, benigne deducatur: et ibidem primitus de cibis Quadragesimalibus illius infirmitati (iuxta medicinalem artem) congruentioribus, prout loci suppetit facultas, diligenter ac sollicite ipsi per obedientiam subveniatur. Si autem talis egritudo sic examinata invaluerit, medici consilio, deducatur ipsa egrotans ad exteriorem infirmariam intra clausuram conventus sitam: et inibi (iuxta ordinationem ipsius medici), de Correctricis iussione, vigilanter et caritative illi succurratur de quibusvis cibariis pro sanitate celerius restauranda: et hoc quidem fiat secundum loci facultatem, et per ministerium Ordinis procuratorum vel procuratricum, aut aliarum devotarum personarum.

Caveant autem omnes ipse sorores ac oblate, ne quemquam medicorum pro deserenda Quadragesimali vita, et pascale seu pingui assumenda per se nec per interpositam personam, inducant: presertim cum et eisdem medicis de iure prohibeatur ne pro corporali salute aliquid egrotis suadeant, quod in periculum anime convertatur.

At ubi egrotam ipsam ita constiterit evidenter convalescere, quod Quadragesimalibus cibis assuetis sustentari queat, matura deliberatione previa, ad pristinae vite sanctiorem consuetudinem redeat, memor salutifere professionis suae.

Nulli itaque sororum omnium, aliter quam hac stabili lege sancitum est, dictis cibis pascalibus seu pinguibus, videlicet carnibus, ovis, caseo, butiro, nec quibuscumque lacticiis, neque ex eisdem congestis seu productis (quovis tempore) vesci, neque talium quicquam victui conveniens et aptum intro deferri facere ullatenus permittatur.

Cum autem talibus, ut dictum est, vesci opportunum fuerit, aliunde quam per claustrum seu conventum, deferantur ad ipsam exteriorem infirmariam, que muris undique circumdatur: et aliquanto spacio ab ipso conventu separetur: atque cum interioribus eiusdem conventus officinis,

nullo pacto stare permittatur: quam etiam absque Correctricis licentia (residentibus ibidem infirmis) nulla ingrediatur.

De corporali ieiunio: capitulum septimum.

Quoniam ieiunium corporale mentem purgat, sensum subleuat, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentie pabula dispergit libidinumque ardores extinguit et castitatis lumen accendit: eapropter omnes huius Ordinis sorores membra sua cum viciis et concupiscentiis crucifigentes, uniformiter ieiunent a secunda feria post Quinquagesimam usque ad Sabbatum Sanctum inclusive, et a festo Omnium Sanctorum usque ad diem Nativitatis Domini exclusive, aliis etiam diebus quibus est ieiunium ab Ecclesia indictum: et similiter omnibus quartis ac sextis feriis totius anni: exceptis duntaxat singulis quartis feriis inter Pasce et Penthecostes, et inter Nativitatis ipsius Domini ac Purificationis Beate Marie Virginis festa annuatim occurrentibus, etiam ipso die Natalis Domini sexta feria pro tempore cadente.

Oblate vero sextis tantummodo feriis totius anni et a festo beate Catherine virginis exclusive usque ad predictum diem Dominici Natalis, singulis etiam prefatis Ecclesie ieiuniis pariformiter ieiunent.

Imsuper a cunctis predictis ieiuniis nulla corpore sana eximatur. Poterunt nichilominus prelate seu Correctrices super singulis predictis ieiuniis cum ipsis sororibus ac oblatis racionabiliter dispensare.

Preterea caritative semper observetur quod cuncte diutino ac naturali langore celitus visitate, nedum in dictis ieiuniis, sed etiam in cunctis vigiliis et quibuscumque Ordinis oneribus benigne supportentur: et cibus Quadragesimalibus (abundantius quam sane) refocillentur. Ipse vero taliter visitate de tempore adhuc sibi ad penitentiam peragendam commodato gaudeant, et gratulentur.

Ut autem efficacius omnis crapule tollatur occasio non permittitur quibuscumque sanis, extra refectionis ordinarie solitam horam, sine Correctricis licentia, comedere. Preterea furtivarum commessionum latibula singulis interdicuntur.

De pure orationis studio et servando silentio: capitulum octavum.

Hortentur ulterius singule ut sancte orationis studium non pretermittant, memores quod pure et assidue orationis iustorum magna sit virtus, ac, velut fidelis nuncius, mandatum peragit, et penetrat, quo caro non pervenit.

Ut autem ipsis omnibus potior orandi detur occasio, moneantur singule quatenus dent operam evangelico silentio: ita quod in ecclesia, claustro, ac dormitorio omni tempore, in refectorio vero in prima et secunda mensis, et a completorio usque ad primam silentium servent: alias submisse ac religiose loqui studentes. Si quid tamen in predictis temporibus et locis silentio dedicatis necessario loquendum contigerit, verbis paucis ac demissis que dicenda fuerint breviter concludantur.

Hortentur insuper cuncte ut sint benigne, modeste ac exemplares, non alias quascumque personas sed seipsas iudicantes, et multiloquium, quod sine culpa esse non potest, fugientes.

**De Congregationis huius Prelatis seu Correctricibus,
et antiquioribus sororibus ac ceteris conventuum officariis:
capitulum nonum.**

Huius Ordinis et vite regimini intendentes ceteris in victu ac vestitu se iuxta posse conforment: et virgam cum manna, et oleum cum vino, idest iusticiam cum misericordia, et e contra in suis correctionibus provide adhibeant.

Et quoniam experientie defectu illa que prius temptationibus bella experta non fuerit vel discipulam non se noverit, Correctricis onus subire, Congregationisque curam suscipere non expedit.

Eapropter nulla sororum in hoc Ordine preficiatur, nec in Prelatarum seu Correctricum et antiquarum sororum electione nec depositione vocem habeat, nisi saltem per biennium in hoc Ordine iam professa laudabiliter vixerit: et vigesimum quintum annum ad minus attigerit.

In antiquiores vero sorores quecumque capitulariter assumpte suis Correctricibus in earum conventu consilium et auxilium in cunctis ad hanc Regulam et vitam spectantibus mature prebeant.

Preterea soror sacrista, et cetera cuncte conventuum officarie per predictas earum Correctrices, una cum capitulo locali in unoquoque conventu eiusdem Ordinis debite eligantur: ipse etiam taliter electe sibi commissis officiis vigilanter incumbant.

**De Congregationis huius Prelatarum intitulatione ac earumdem electione:
capitulum decimum et ultimum.**

Harum denique sororum ordinis Minimorum directioni incumbentes singule Correctrices non immerito veniunt nuncupande: ut se ipsas primitus corrigentes, compassive sibi commissas sorores et oblatas ita corrigant, quod super earum defectibus pie condoleant: et ipsarum emendationem potius quam punitionem pretendant ac requirant.

Insuper singulis trienniis in festo Dominice Ascensionis (in cunctis conventibus eiusdem Ordinis et in quolibet ipsorum) fiat sororum specialissima congregatio: in qua cuncte sorores professe capitulariter convenientes unam e sue Congregationis universitate mature eligant in suam matrem Correctricem, veluti servam bonam, et fidelem, honestam, virtuosam ac prudentem, pro tribus duntaxat annis sibi invicem subsequentibus provide constituendam super earum conventualem congregationem : omni sinistro favore, ac livore prorsus exclusis.

Ipsa etiam Correctrix sic electa per eiusdem ordinis Minimorum Generalem, vel per talis Provincie Correctorem Provincialem pro dictis tribus annis debite confirmetur: taliter vero confirmata sic omnium sibi commissarum sororum et oblatarum iniquitates corrigat in vera iusticia quod misericordiam non dispergat ab illa: et ita misericordiam faciat, quod iusticiam ab ea non dividat.

Ipsi etiam Correctrici, in quovis conventu, mature deputentur tres timorose socie que antiquiores sorores nuncupentur, quarum provido suffulta consilio commissa sibi Religionis negotia discrete ac sapienter discernat, et efficaciter tractet atque diffiniat.

Quamprimum vero, ut premittitur, electe fuerint mater Correctrix et eius socie, in capitulo conventus sui, fidelitatem Ordini promittant.

Ipsarum etiam Prelatarum dicto triennio finito, antequam ad alterius electionem procedatur, sibi commissis prelationis officiis humiliter renuntient: et, saltem pro triennio immediate sequenti, officio careant, ac subdite remaneant.

Preterea, neque ipsis Correctricibus, neque ullis sororibus nec oblati liceat conventus sui clausuram usquam exire, nisi alicubi contingerit aliquem novum conventum ipsius Ordinis erigi: et tunc, per eiusdem ordinis Minimorum Generalem, vel per talis Provincie Correctorem Provinciale seu per eorum iussionem et ordinationem, poterunt aliquae sorores ac oblate huius Ordinis de suis conventibus extrahi: et ad ipsum conventum sic noviter erectum licite transmitti: quatenus illum instaurent: et ibidem novicias sorores ac oblatas convenienter recipiant; et (iuxta eiusdem Ordinis Correctorium) illas salubriter instruant, dirigant, et informant.

Preterea quicumque verbo vel scripto contra hanc Regulam et vitam impetrare, seu impetrari facere, aut aliqua statuta componere vel innovare, seu etiam componi aut innovari facere, neque Correctrices ipse neque alie quevis sorores, nec oblate aliquatenus presumant.

Tandem singulis huius Ordinis conventibus pro dictarum sororum confessionibus audiendis, eiusdem ordinis Minimorum Generalis, vel talis Provincie Corrector Provincialis mature deputent presbyteros idoneos et honestos confessores, per eundem Generalem vel per proprium Vigilem aut Provinciale ad nutum movibiles, annum quinquagesimum adminus agentes: salva tamen moderatione per ipsum Correctorem Generalem aut per proprium Vigilem vel Provinciale usque ad constitutos in quadragesimo anno facienda: salva etiam locorum necessitate confessores inferioris etatis assumi cogente. Ipsi vero confessores singularum prenominarum sororum et oblatarum confessiones vigilanter audiant: illisque pro commissis ac delictis penitentiam iniungant salutarem.

Hec est, sorores carissime, lex et Regula mitis ac sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere et fideliter ac perseveranter custodire; quatenus, per ipsius observantiam, tandem de manu Domini, pro benedictione perenni, gratiam et gloriam feliciter consequamini.